



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Difficultas II. Solvuntur Objectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

objecti fidei, & tamen non est Ens divinum: Negationes item & privationes, sunt (ut dictum) species objecti fidei, & tamen pro materiali fidei, non involvunt Ens Divinum: potest item de non esse divino dari fides, ut cum credo non dari negationem esse Divini: objectum actus fidei, est non esse Divinum negativum, quod tamen non est Divinum, quia divino esse, est contradictoriè oppositum. Non sub nomine Entis revelabilis: quia ly ens, est genus remotum: genera autem remota non debent poni in explanatione objecti, propter dicta in Logicis. Non sub nomine revelati: tum quia modi loquendi formari debent secundum usum Doctorum. Jam autem tota Schola Aristotelica objectum habitus cognoscitivi appellat cognoscibile, non cognitum, volibile, non volitum. Tum quia revelatum ex modo significandi importat tempus præteritum. Jam autem potest esse actus fidei pro tempore præsentis, de quo non nisi verum est dicere, Revelatur. Tum quia eadem fides quæ nunc est, attingeret objectum, quod Deus cras de novo revelaret. Sicut eodem habitu fidei Beatissima Virgo credidit venturum Christum, & venisse alias, postâ Incarnatione. Assumptum probatur quia quando jam peracta est Incarnatio debuisset in omnibus fidelibus mutari habitus fidei. Ergo apparet quod non ad solum revelatum, sed etiam ad id quod revelabitur porrigat se fides. Non sub nomine credibilis: quia creditio est quid posterius revelatione. Ergo & credibile est quid posterius revelabili: pro ratione enim adferri potest, Cur aliquid sit credibile, quia scilicet est Revelabile. Ergo non est objectum fidei, quia pro illo priori, pro quo anteceditur à revelabili ipsum credibile, jam est objectum fidei. Cumque ipsum credibile, non sit ultima ratio fidei, non debet pro objecto illius poni, quia hoc intrare debet definitionem fidei, definitiva autem debent esse ultima: unde assumi debet ad definitionem, genus proximum & differentia ultima. Tum quia credibile ex modo significandi ut sonat, importat connexionem cum actu credendi: objectum autem fidei, potius connecti debet cum aliquo tenente se ex parte Dei revelantis: cum veracitas illius sit ratio formalis quæ jam autem revelabile, magis se tenet ex parte Dei veracitatis. Tum quia sicut ex eo probatur, Ens credibile esse objectum materiale: quia ad illud feruntur omnes actus fidei: ita dicam revelabile esse objectum fidei: quia ad illud feruntur omnes assensus propter revelationem. Tum quia si ex eo credibile est objectum fidei, quia habitus fidei est creditivus: ita etiam objectum fidei erit revelabile: quia habitus fidei est assensivus propter revelationem. Et sicut habitus cognoscitivi objectum est cognoscibile, inferiturque ex eo habitus creditivi objectum esse credibile, inferemus & nos esse revelabile. Ly item Revelabile, impor-

tat rationem assentiendi: cum tamen credibilitas quæ talis, utpote tenens se à parte actus, non sit quæ talis, ratio assentiendi. Tum quia concedunt oppositi, credibile esse quid posterius revelabili, & ex eo non nisi revelabile non est objectum, quia credibile magis proportionatur fidei habitui: nam quantumvis magis proportionetur fidei sub formalitate habitus credendi, non tamen magis proportionatur, sub formalitate habitus, procedentis propter revelationem, quæ formalitas, est prior in Fide. Quod autem dicitur quantumvis illuminabile prius sit visibile, nihilominus visibile esse objectum visus, id non convincit: Nam in multorum sententia lucidum coloratum est objectum visus. Nec procedit paritas: nam cum lux sola, non possit videri, non potest esse objectum visus: universaliter enim objectum potentia debet esse tale circa quod versetur potentia: hoc ipso enim & esset objectum & non esset. Cum ergo non versetur oculus circa lucem; nec enim eam videt ut supponit oppugnans, non potest esse lux objectum visus. Ex alia autem parte propter rationes adlatas revelabile est objectum fidei: habetque rationem prioris ut consenti oppugnans.

DIFFICULTAS II.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT PRIMO quidam. Impossibilis est actus fidei, qui pro objecto materiali, non attingat Deum; sicut impossibilis est actus tenentis operationis, quin simul actu, quamvis non figuratè, attingat præmissas ergo Deus est objectum fidei materiale, ex quo cetera omnia pendunt in esse credibilis. Antecedens probat ex Suario. Nihil actus fidei attingit, nisi propter testimonium Dei sed propter testimonium Dei attingere quidquam non potest, nisi simul attingat Deum, juxta illud ad Hebr. i. Accedentem ad Deum oportet credere quod sit, quod sit omni actu fidei supernaturalis. Et certè quomodo credimus Deo, si non credimus Deum esse, & veracem esse.

RESPONDETUR. Negando antecedens. Prima ejus probatio est pro nobis, & paritatem non habet. Pro nobis est; quia si ita se habet Deus in actu fidei sicut præmissæ, certè illæ in tertio operatione, non se habent per modum materialis, sed per modum formalis, quia per modum motivi; adeoque etiam Deus ex vi paritatis, habebit se per modum formalis. Paritas etiam non tenet: quia si fieret illatio sine attendenti ad præmissas, esset illatio sine suo formalizativo: quia formalizativum & distinctivum illius, est illa attendentia præmissarum. Si autem pro materiali uniuscujusque assensus fidei non sit Deus, nondum sequeretur esse actum fidei sine suo materiali: nihil enim repugnat hoc materiali, esse etiam aliquid creatum, cum

tamen (ut dixi) nullum possit esse formalisati-
vum illationis, nisi attendentia pramissarum.
Quoad secundam probationem antecedentis
distinguitur illa propositio, sed propter testi-
monium Dei attingere quidquam non potest
fides, nisi simul credat Deum, creditione inclu-
sa in ipsomet testimonio habente se per modum
formalis, concedo propositionem; nisi credat
Deum creditione non inclusa in ipsomet for-
mali. Nego propositionem.

EXPLICATUR Distinctio. Dupliciter pos-
sumus attingere Deum tanquam objectum ma-
teriale. Inprimis ut subjectum credendi sit
ipse Deus, motivum autem sit testimonium illi-
us de se, & quia verax est. Secundò possumus
credere Deum, ita ut creditio illius reperitur in
ipso formali inclusa, impossibile enim est crede-
re testimonio DEI, & implicite non credere
ipsum Deum. Si priori modo in omni actu fidei
releceat Deus, sequeretur objectum materiale
adequatum fidei esse Deum: quia jam cum nul-
lo alio materiali, per se uniretur ratio formalis
objecti; si posteriori modo, non sequeretur esse
objectum adequatum materiale Deum, sed solum
sequeretur, esse illum objectum adequatum
formale, quod non negatur. Quod ipsum
resolvitur ulterius. Non raro id quod est sub-
jectum, aut amittit rationem simpliciter subje-
cti, aut transit in rationem formalis, sic v. g. si
hoc quod fuit propositio, evadat non nisi termi-
nus, vel definitio, tunc jam non habebit ratio-
nem subjecti: quia ratio subjecti non ha-
betur extra propositionem; terminus autem
& definitio, non est propositio: cum
stando in ratione termini, non habeat quid-
quam, quod de illo predicetur. Tunc autem
est aliquid subjectum, quando capit supra illud
predicatum. Rursus ipsa ratio subjecti, pot-
est transire in rationem formalis. Cum enim
non sit adstrictum subjectum, ad rationem non
nisi subjecti; bene potest terminus transire in ra-
tionem formalis. Porro subjectum in ratio-
nem formalis duplici viâ transit, inprimis si po-
natur per modum prædicati: & sic quando enun-
tio Animal est rationale, ly animal, est subje-
ctum. Quando autem per secundam operati-
onem dico, homo est animal rationale, ly ani-
mal, transit ex subjecto in formale, quia omne
predicatum, habet se per modum formæ respec-
tu ejus de quo prædicatur, unde etiam prædi-
cata vocantur formæ Logicæ.

Alia etiam viâ subjectum transit in formale,
quando totum illud complexum accipitur pro
motivo, motivum enim habet se per modum
formalis; & ita cum dicitur: Petrus est homo,
quia est animal rationale, ly animal jam non est
subjectum nec materiale, sed transit in formale.
Quia autem Deus attestans habet rationem for-
malis & motivi; ideo ly Deus quod alias est ma-
teriale, & subjectum fidei, transit in formale; Si

transit in formale, non sequitur, quod in quo-
cunque actu fidei attingatur Deus ut objectum
materiale. Quod attinet ad illam authorita-
tem Apostoli, illius mens fuit ostendere, ut ex-
plicant Theologi, quodnam sit objectum cre-
dendum, necessitate medii.

OBJICIT SECONDO Koninck hic disp. 9. dub.
1. num. 10. Revelabile, non est jam actu tale,
quod possit fide divinâ credi. Ergò revelabile
non est objectum materiale fidei: nam ut ali-
quid sit tale, non sufficit quod possit à Deo re-
velari, sed opus est, ut sit à Deo revelatum.

RESPONDETUR. Revelabile sumptum par-
ticipialiter, non est jam actu tale, quod possit fide
divinâ credi actu; secus sentiendum de revela-
bili nominaliter, qua ratione sumptum, statui-
tur à nobis pro materiali. Idem aliter distin-
guitur. Revelabile non est jam actu tale, hoc
est quantum ex parte habitus habentis se per
modum potentie supernaturalis, quod possit fi-
de divinâ credi, nego antecedens. Revelabi-
le non est jam actu tale, hoc est non habet omnia
necessaria ut eliciatur actus fidei, concedo ante-
cedens & nego consequentiam.

EXPLICATUR distinctio. Potentie omnes
habent hoc, ut non tantum vis illarum extendat-
ur ad id quod de facto est, sed ad id quod potest
esse; ostenditque hoc inductio & experientia.
Visiva enim nostra non tantum extenditur ad
flores, quos præ nobis habemus, sed etiam ad il-
los, qui v. g. ex Indiis adferrentur. Quod
ipsum ulterius in hoc fundatur: quia potentie
ad sua objecta est relatio transcendentalis, si tran-
scendentalis, essentialis; si essentialis, immutabi-
lis; sicut & omnia essentialia immutabilia sunt.
Si immutabilis ab existentia objectorum quæ
mutabilis est, pendere non potest. Quia autem
fides, est habitus, habens se per modum potentie,
utpote adferens primas vires agendi, fit ut ex-
tendatur, non tantum ad id, quod revelatum est,
& cujus existit physicè, moraliterque durat reve-
latio, sed etiam ad id, quod extitutum est, seu re-
velabile est. Quia tamen ipsa potentie ad hoc ut
exeat in actum, indigent suis prærequisitis, &
sic visiva indiget certâ distantia, lumine, objecto
actu colorato, &c. ut experientia ostendit, de-
poscitque conditio creaturæ, quæ cum esse li-
mitatum habeat, & operari, sequens ad esse, li-
mitatum habebit; non esset autem limitatum, si
independentem ab omnibus prærequisitis age-
ret, quod proprium est Dei. Idem etiam fit, ut
& habitus, qui est per modum potentie, exigat
prærequisita ad versandum actu circa suum ob-
jectum, inter quæ prærequisita, est ipsamet reve-
latio actualis; tanquam formale assentiendi;
quæ quia non supponitur esse versata circa id
quod non nisi revelebitur, fit ut circa illud, non
possit versari actu, ex defectu prærequisitorum,
fides.

INSTABIS PRIMO. Cum non possit actu
versari

versari fides circa id quod potest non nisi revelari; cur nihilominus dicatur revelabile esse objectum fidei.

RESPONDETUR. Quia id exigit conditio ipsius potentiae, nata se extendere, etiam ad ea, quae non existunt, quantum est ex illa, nullaque facta ex illa mutatione, modo adsint praerequisita. Objectum autem de quo hic complecti debet omnia, ad quae se extendit potentia, seu habitus.

INSTAT SECUNDO KONINCK. Ut possit aliquid coloratum videri non sufficit quod à Deo possit illuminari, sed requiritur ut sit actu illuminatum. Ergo etiam ut aliquid sit actu objectum fidei, debet esse actu revelatum.

RESPONDETUR. Quantum ex vi potentiae visiva, sine ulla in illa mutatione, extendi potest ad id, quod postea illuminabitur, licet ex defectu praerequisitorum actu non extendatur. Quod idem verum est de fide.

OBJICITUR TERTIO. Multa sunt revelabilia ad quae se non extendit fides, ut ad incarnationem Spiritus Sancti. Ergo revelabile ad aliquid se extendit, ad quae se non extendit fides. Ex altera parte, ad aliqua se extendit fides, ad quae se non extendit revelabile: quia fides se extendit ad negationes, non autem revelabile: quia revelabile includit Ens, cum tamen negationes, non sit Ens.

RESPONDETUR. Objectum materiale, ex eo ipso quia commune est, potest se ad plura extendere quam habitus; vocaturque adequatum non nisi hoc sensu, quod includat omnes species illius habitus. Sed quidquid de hoc sit, quantum ex vi habitus fidei, ille idem manens, potest se extendere ad credendam illam Incarnationem, licet se non extendat actu, defectu praerequisitorum; ita ut sit ad illud objectum actu Potentia, sed actu, se non extendens. Revelabile includit Ens implicite, sed commune etiam negationibus, secundum quod Arist. 4. Metaph. tex. 2. ait: *Ipsum non Ens, quandoque esse Ens dicimus.*

Quae ipsa latitudo huius objecti, ostendit fidem, sicut & intellectum, ad infinita syncategorematicè se extendere posse, licet non se extendat ad infinita categorematicè.

INSTABIS PRIMO. Saltem non est ratio cur sub nomine revelabilis hoc objectum statui debeat: nam etiam Logica est habitus cognoscitivus, & tamen non sequitur quod materiale illius, debeat poni sub nomine Cognoscibilis.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia Logica non est potentia, hinc non est necesse ut participet immediate de ratione objecti ipsiusmet potentiae. Fides autem est potentia supernaturalis intellectiva. Deinde quia alii habitus habent nomen, sub quo sua objecta exprimant, & ad quod species omnes per se considerabiles revocari possunt. Jam autem non est nomen, quod exprimat objectum fidei, non deijciendo à ratione materialis etiam illa objecta,

quae per se primò possunt informari ratione formali fidei Divinae, quod ipsum obest, ne hoc objectum, dicatur Deus.

INSTAT SECUNDO Valentia, nihil est in his, quod non revocetur ad Deum, spectantque omnia, ut pleniorum Dei cognitionem habemus. Ergo Deus, non revelabile, erit, quantum objectum materiale.

RESPONDETUR. Quia multa praeter considerabilitatem illam reducibilem ad Deum possunt informari ratione formali fidei, ideo praeter illam reducibilitatem, habebunt adhuc rationem specierum objecti fidei: & quia objectum de quo hic quaeritur, debet esse commune omnibus per se considerabilibus, cum haec communitatem non dicat Deus, fit, ut non sit quaesitum objectum.

OBJICITUR QUARTO. Idem debet esse objectum principiorum & habitus discursivi. Sed objectum materiale Theologiae, quae est habitus discursivus, ex principiis fidei est solus Deus. Ergo & fidei.

RESPONDETUR. Negatam fuisse minorem in Proemial. i. partis Major autem vera est, quae ratio haec haberi potest. Quia si non idem objectum esset principiorum & habitus, nunquam foret argumentum in forma: quia scilicet scientia est habitus Conclusionum, & principia sunt praemissae: Si ergo aliud est objectum principiorum & aliud Conclusionis, erunt quatuor termini, consequenter nihil tunc scietur. Deinde discursivè nihil scietur, nisi mediantibus principiiis. Ergo si principia idem objectum non tangunt, quod vult scire scientia discursiva, nihil unquam sciet.

Noto tamen. Duo esse principia universalis fidei. Hoc Deus dixit, & Deus est veritas prima. Huius principii Deus est veritas prima, objectum materiale est Deus, sed ita (ut secundum dicta) in multis assensibus transeat in formale, non ergo universaliter erit objectum materiale. Sub illo autem termino hoc Deus dicitur, ly hoc quod est pro materiali, non supponit pro solo Deo, adeoque illic Deus non est materiale, consequenter utrumque hoc principium faciat, ut materiale fidei, non sit solus Deus.

OBJICITUR QUINTO. Autoritas sacrae Scripturae & Patrum pro objecto fidei statuendum Deum, quod assumptum distinctè probat Valentia hic disp. 1. quaest. 1. puncto 1. §. 3.

RESPONDETUR. Auctoritates has ut plurimum loqui de objecto formali, vel de objecto principali, hoc est nobilissima credendum species, quae indubie est DEUS.

DIFFICULTAS III.

Quo sensu possit dici Objectum materiale adequatum Fidei Deus?

Idem habitus sub diversis formalitatibus potest habere diversum objectum.

RATIO